

nas rudi calamo exaratus et miniatus complectitur S. *Augustini Libros XXII. de Civitate Dei*, quorum I. incipit: *Gloriosissimam Civitatem Dei sane (five) in hoc temporum cursu cum inter pios (impios) peregrinatur &c.* Vides non polliceri multa Exemplum istuc, et tamen ad L. XI. calcem legis: *Correctus est deo gratias.* Libro XII. praescriptum est: *Incipit secunda Pars &c.* Libri quidam habent Capitulare. Extremo subjectum est: *Martinus Delborn patricius.* Thecis intus adglutinatae sunt Membranae quaedam Talmudicae.

CCCXLIII.

U. 175 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 107. f. min. per duas columnas scriptus, rubricis distinctus, et, ut praefert, quondam *Collegij ducalis Bienn.* continet amplum et laboriosum *Indicem Rerum* in superiore D. *Augustini* Opere contentarum ordine Alphabeti digestum praevia eo utendi Methodo, quae incipit: *Ut de infra scripta tabula noticiam pleniorē habere valeas &c.*

Fol. 103. sequuntur Initia Capitulum omnium XXII. Librorum *de Civitate Dei*, et ad calcem: *Explicet Tabula capitulorum.*

CCCXLIV.

R. 3054 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 75. f. corrente calamo scriptus, rubricis enotatus, et olim *Monastery S. Dorothee*

wienne Foliis 4. praeviis Excerpta continet e Libris S. *Augustini de Civitate Dei*, tum

Fol. 5. incipiunt S. *Hieronymi Epistolae*, computanturque XXV. sed contrahendus est is numerus. Nam, quae fol. 6. altera *adversus Vigilantium* dicitur, est ipse *Hieronymi* adversus hunc Liber, qui extat Edit. *Vallars. Opp. T. II. col. 387.* hoc initio: *Multa in orbe monstra generata sunt &c.* Quae fol. 9. *ad Oceanum de Vita Clericorum* inscribitur, spuria exulat in *Append. five T. XI. Edit. cit. ad col. 270.* Epistola *ad Matrem et Filiam* Praefationem habens Edit. *cit. T. II. col. 776.* nobis fol. 55. in duas dividitur. Idem accidit Epistolae *ad Pammach. et Ocean. T. cit. col. 518.* quae nobis fol. 61. ad illa verba: *Ipse Origenes in illa Epistola quam scribit &c.* novam Rubricam praefert: *Jeronimus de penitentia Origenis.* Praeterea Epistola: *Ignota vultu &c.* quae T. *cit. col. 812.* ad *Hedibiam* data est, nobis fol. 63. ad *Theodosiam* datur, de quo *Vallarsus* nihil notavit. Ad calcem habetur: *Expliciunt epistole yeronimi per manus Nycolay.*

Fol. 65. succedunt quaedam *Augustiniana*, videlicet *Marcelini* ad illum cum Responso, *Aug. ad Probam et Julianam*, *Paulini* ad illum cum Responso, *Aug. ad Laetum*, *ad Armentarium et Paulinam*, *ad Evodium*, *ad Ecdiciam*, et altera *ad Evodium.* Igitur numero X. quae omnes extant T. II. Edit. *Maur.*